



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Acta Synodi dioecesanæ vndecimæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**



cum cætera omnia coram vberius exponet, tum pro salutari huius Prouinciæ cura, nostris etiam verbis ab ea supplex nonnulla petet, quæ vt consequamur, nos precibus summis obsecramus Sanctitatem tuam. Quam Deus Ecclesiæ suæ incolumem conferuet diu. Mediolani,

Formula literarum ad Episcopos Prouinciæ, de affixione, & promulgatione Concilij Prouincialis.

**D**ie Sabbato, qui dies fuit 4. Idus Aprilis, decretorū quæ in Synodo Prouinciali edidimus, volumē imprefsum Ecclesiæ Metropolitanæ valuis de more affigi, promulgarique iussimus. Cuius sanæ promulgationis testificationem à Cancellario nostro Archiepiscopi excriptam atque obfignatam cum his literis coniunximus. Typis autem Mediolanensibus edita eorum decretorum volumina duo Amplitudini tuæ mitto: alia porrò quæ ad istius Cleri vsum opuserunt, hic haberi poterunt, vbi pro totius Prouinciæ ratione edita sunt quamplurima. De illis autem in Synodo Diocesana, quam Amplitudo tua proximè habitura est, legendis ac promulgandis, sicut non dubitamus, quin ipsa pro sua pastoralis sollicitudine ad Prouincialis Decreti præscriptum agat: ita speramus fore, vt in ijs ipsis exequèdis omnino adhibeat debitum, & studij, & diligentis industriæque pastoralis officium. Quod vt planè præstet, per viscera Christi Domini hortamur Amplitudinem tuam. Cui prospera & salutaria omnia à Deo precamur. Dat. &c.

Formula iurifurandi à testibus Synodalibus præstandi in Concilio Prouinciali, Habetur supra in Concil. 4. Prouin.

#### A C T A

#### Synodi Diocesane XI.

**I**llustris. & Reuerendis. in Christo Pater, & Dominus noster, Carolus Tit. Sanctæ Præxedis Presbyter Car-

dinalis, Dei & Apostolicæ sedis gratiæ Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanen. salutarem admodum, ac disciplinæ Ecclesiæ valde accommodatum & vtilem vsum cogendi quotannis Synodum Diocesanam, ex sacri Tridentini, & Prouincialium Conciliorum præscripto, quantum in se est, pro Archiepiscopali munere suo retinere & conseruare volens, hoc anno 1584. Synodalem hunc vndecimum conuentum, in superiori proxima decima Synode de more indictum ad diem iij. Maij, in Calendario primùm adscribi, & per R. Archidiaconum solenniter sacro Epiphaniarum die ad præscriptum denunciari iussit, vt infra.

#### Denunciatio Synodi Diocesane in Metropolitana.

**H**OC item anno, dilectis. ad Dei Omnipotentis, Beatæque Mariæ semper Virginis, ac S. Ambrosij Confessoris, & beatorum martyrum Protasij & Gerasij, patronorum nostrorum laudem, Synodus Diocesana die iij. Mensis Maij adiutrice diuina gratia celebrabitur. Pij igitur vestris precibus instate, vt Vrbs, & Diocesis hæc Mediolanensis, salutaribus augeatur vitæ Christianæ disciplinis, ex ijsque fructus, suffragantibus eorundem sanctorum patronorum nostrorum meritis, vberiores in dies afferat in Domino.

Synodalis autem dies cum instaret, Illustris. Archiepiscopus studium & operam Vicariorum foraneorum, vt actionibus Synodalibus hac etiam ratione consuleret, his literis requisivit, quæ ad omnes scriptæ fuerunt.

#### Epistola ad Vicarios foraneos.

**R**E V. Vicari. Cùm dies Synodalis iam instet, sollicitudinem tuam hoc tempore præmonere volumus, vt debito apparatu ad rem Synodalem fructuosè per nos peragenda instructus conuenias. Quidquid verò pro tui muneris ratione in isto Vicariatu animaduertisti, quod ad actionē Synodale spectet,